

1500 contulerunt . una quod erat tardior , multis hostium navibus iter impedientibus , cum reliquarum celeritatem se imitari posse diffideret , ad Contarenum rediit . Oppidanis navibus auxiliariis conspectis , ut ea quæ afferebantur , celeriter in oppidum asportarent , læti ad portum convolaverunt : tantaque fuit ejus rei cura , ut ii etiam qui muros alia ex oppidi parte contra hostium exercitum servabant , cum festinari ab aliis viderent , eodem & ipsi accurrerent , stationesque relinquerent , sic , ut murus defensoribus spoliaretur . Id ubi hostes ab exercitu conspexerunt , occasione rei bene gerendæ non omissa , per ruinas murorum , quas tormenta fecerant , scalis positis nixi , paucis defendantibus imperfectis , se in oppidum intulerunt . Oppidanis præfectique & milites præsidio & commeatu jam e navibus abducto ea de re certiores facti , hostibus medio in oppido occurserunt , atque ibi prælio acerrime commisso cum diu fortiterque pugnavissent , ac magnum eorum numerum occidissent ; demum crescente hostium multitudine , plenis jam omnibus & obfessis viis , circunsepti undique ac pressi , prope omnes imperfecti sunt una cum præfectis navium , qui tunc venerant , duabus , remigibusque permultis . Ex municipibus ii qui superfluerant , omni ex parte oppidum incenderunt , suaque omnia & suos comburere voluerunt : ita oppidum ardens ac semicombustum capitur , cum quidem Veneti multam in noctem se defendissent . Eo capto rex Pylon ducem suum misit . is ut fidem oppidanis faceret Methonem in regis potestatem venisse , magistratum reipublicæ qui Methone erat in vinculis adductum eis ostendit , cum civibus Venetis nonnullis . quibus viis , ea conditione , ut neque libertatem neque quidquam ex rebus suis amitterent , oppidum regi tradiderunt .

At classis Veneta cum Zacynthum reverteretur , magna coorta tempestate cursum non tenuit : itaque navibus omnibus disjectis , nonnullæ longinquas insulas , Cretamque usque delatae , vel amissis gubernaculis vel malo infraacto , vel dissutis contignationibus , jactura facta ægreque se

in

*Methonis  
expugnatio.*

*Pylōs Tur-  
cœ se dedit.*